



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 83. Tridentina Synodus a Rege, ac Senatu promulgata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

tur suffragia, ubi Gnesnensis Archie-  
 piscopus, qui prior verba fecerat, pro  
 suo more amplissimis verbis Pontificis  
 studium, ac Synodi Patrum prudentiam  
 deprædicabat, præmissisque hisce elo-  
 giis hunc librum honorifice esse reci-  
 piendum censebat, nullum tamen cer-  
 tum responsum esse dandum affirmabat,  
 nisi illum Rex prius perlegisset, ac pro  
 temporis opportunitate in suo Senatu  
 discussisset. Verum Episcopi, & Ca-  
 tholici contra hanc Archiepiscopi sen-  
 tentiam vehementer insurgent, eo-  
 quod Synodi decreta iudicio Regis, ac  
 Senatus subicere videretur.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1564.

§. LXXXIII.

*Tridentina Synodus a Rege, ac Se-  
 natu promulgata.*

Mox Rex, nequidem expectata cete-  
 rorum sententia, quam ex omnium  
 indignatione in Archiepiscopum con-  
 cepta satis conijcere poterat, ipse  
 verba faciens hæc dixit: „satis mihi  
 „persuasum habeo, quod Commendonus  
 „orationem ex tempore habitam, cum  
 „ea die in Senatum se esse vocandum  
 „haud præscire potuerit, tanta tamen  
 „vi, atque ordine peroraverit, divini  
 „Numinis instinctu magis, quam præme-  
 „ditatione, aut facultate sua pronuntia-  
 „verit, eaque monita protulerit, ita-

Grat. l. c.  
 Pallav. n. 3.

Sæcul. XVI. „que me omnino obstrictum censeo, ut  
 A.C. 1564. „hujus Concilii decreta recipiam, cum-  
 „ctisque ejus Sanctionibus, ut par est,  
 „morem geram. „

His dictis Pro - Cancellarius pro  
 more juxta Regis sententiam Commem-  
 dono respondit: Rex vero ad summum  
 Pontificem literas dedit, quibus Syno-  
 dum cum summa submissione esse re-  
 ceptam significabat. Data est hæc Re-  
 gis epistola die decima octava Augusti.

L. XXXIV.

*Cardinales de Synodi promulgatione  
 a Polonis facta per Papam  
 edocti.*

*Raynald.  
 num. 45.*

Faustum hoc nuntium summus Ponti-  
 fex in Patrum Senatu die sexta  
 Octobris habito eisdem annuntiabat,  
 eis hæc exponens: „Poloniæ Rex in  
 „quodam suorum Ordinum conventu  
 „imo etiam coram Senatoribus hæreti-  
 „cis Concilii Tridentini acta ipsi per no-  
 „strum Nuntium delata acceptavit, pol-  
 „licitusque fuit, se toto studio curatu-  
 „rum, ut hæ sanctiones in Universo  
 „suo Regno executioni mandentur: in-  
 „super idem Rex plura condidit de-  
 „creta contra hæreticos, qui novos er-  
 „rores ubique spargebant, præcipue  
 „vero persequitur exteros, quos omnes  
 „suo Regno exulare jussit. „ Hasce li-  
 teras